

perpendiculari proxima una atque eadem fiet linea, et angulum relinquet nullum. Id autem, quia cum altera illarum, una eademque fieri potest; ideo quia ei adaptari potest. Idque, quia a minimo angulo inclinare potest. Id vero, quia minimum potest formare angulum. Id quoque quia omnis acutus angulus omni rectoangulo, est minor. Id vero est, quia rectus est. Id vero est, quia rectum in duos dividit, id quoque quia ab inclinata ad perpendicularares est formatus. Id autem, quam, ter eas est protracta. Id vero, quia inclinata ea est quæ inter perpendicularares trahitur. Linea vero refugiens, a perpendicularium contactu, non ad intra, sed ad extra refugiet. Atque ita proximiorem perpendiculararem, inter se et alteram collocat medium. Ad eamque angulum recto extrinsecum. Atque ita inter se, et distantiorum perpendicularium, duos format angulos. Qui quidem anguli duo, maiores erunt uno recto. Si vero media perpendicularis e medio tollatur, unus fiet angulus recto angulo maior. Qui obtusus a veteribus est appellatus, eumque maiorem recto supposuerunt, quod nos demonstramus. Quoniam ergo angulus obtusus maior recto est, omnis obtusus angulus omni recto angulo erit maior. Si vero linea a perpendiculari refugiens inter se, et illam minimum relinquat spaciun, hic minimus obtusorum omnium erit angulus. Si vero refugiens magis a media recedat, obtusum angulum minimo maiorem faciet. Atque ideo quanto magis refugiet, tanto, angulum obtusum faciet maiorem. Ergo tantum poterit refugere, ut angulum obtusorum omnium maximum, efformet. A quo si magis etiam refugiat in directum distantiori perpendiculari situm assumet. Et tunc nullum angulum efformabit, et eadem cum altera fiet. Potest ergo, ut hanc etiam resolvamus, linea a perpendiculari altera refugiens, cum altera, eadem fieri. Et id, quia potest cum ea nullum angulum formare. Id vero, quia in directum ei descendit. Hoc, quia ab angulo obtuso maximo refugit. Id quoque quoniam angulum obtusum maximum potuit efficere. Hoc etiam quia quanto magis refugiebat, tanto maiorem angulum faciebat. Atque hoc itidem, quoniam a minimo obtuso angulo refugiebat. Id aut, quia a proxima perpendiculari, minimum spaciun discedens, minimum obtusum angulum efficiebat. Et id quoniam recto maiorem angulum obtusum efformabat. Et hoc, quia media sublata, e duobus angulis unus remanebat, et maior recto priore. Et id, quia inter se et distantiorum, duos angulos efficiebat. Et id, quia inter se, et proximam angulum formabat. Et id, quia proximam inter se, et alteram locabat. Idque quia a contactu illarum, ad extra refugiebat.

De rectis cadentibus subtensis

Cadentem rectam lineam vocamus eam, quæ superaliam rectam lineam cadit, et altero suo extremo, eam inter extrema tangit. Vel, Cadens linea ea est, quæ inter alterius extrema eam tangit. Hanc autem quæ tangitur, subtensam appellamus. De quarum neutra veteres separatim nihil sunt contemplatiri. Itaque si eadem linea, subtensam inter extrema tangit eam in duas partes dividit, quæ partes, ipsæ quoque rectæ linæ sunt, et cadenti utrinque positæ. Angulosque duos format, vel rectos ambos, vel alterum acutum, alterum vero obtusum. Si recti sunt ambo, tum cadens erit perpendicularis; et partes subtensæ illi erunt perpendicularares quoque, et conversim si perpendicularares sibi invicem fuerint, angulos utrosque efficient redos, atque ideo sibi invicæ æquales. Et eos, et eas omnes eæ proprietates consequentur, quas ante vidimus, et perpendicularares lineas, et rectos angulos consequi. Si vero cadens linea perpendicularis non fuerit, anguli illi duo recti non erunt. Et conversim, si redi non sint, cadens ad perpendicularum non cadet. Sed subtensæ alteri parti inclinabit, ab altera refugiet. Atque ideo ab hac obtusum angulum efficiet, ad alteram acutum. Atque ita, eorum angulorum hic quidem recto minor, ille vero erit maior, simul vero sumpti, duobus rectis erunt æquales.

De rectis se se intersecantibus

Lineas rectas se se intersecantes eas nuncupamus, quæ se se invicem inter utriusque contingunt extrema. De quibus quidem Thales prius, et ab eo Euclides sumens, non amplius uno fecerunt Theorema, nos vero sequentia omnia.